

DE  
AMBITIONE DISCIPULORVM

AD

LOCVM QVINCTILIANI INSTIT. ORAT. I, 2.

ILLVSTRANDVM

IVVENVMQVE

ORATIONES

PRID. CALEND. MAI. c̄l̄o l̄o CCLXXIII. H. L. Q. C.

BENEVOLE AVDIENDAS

OFFICIOSISSIME ATQVE HVMANISSIME

INVITANS

COMMENTATIONE SVCCINCTA

EXPONIT

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE

A. M. SCHOLAE DRESDENSIS CRVCIANAE RECTOR.



it. Rom. B.

1249,22

DRESDAE

TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.

INSTITUTIONE DISCIPLINAE

INSTITUTIONE DISCIPLINAE

INSTITUTIONE DISCIPLINAE

INSTITUTIONE DISCIPLINAE

INSTITUTIONE DISCIPLINAE

INSTITUTIONE DISCIPLINAE

INSTITUTIONE DISCIPLINAE



INSTITUTIONE DISCIPLINAE

INSTITUTIONE DISCIPLINAE



**P**rudentiae scholasticae cum in cognoscendis regendisque iuuenum animis haud leue positum sit momentum, varia praeceptores officii sui memores experiuntur, conquirunt, afferunt, quibus ad industriam in studiis ingenuis collocandam, & ad mores probos honestosque disciplinae suae alumnos adducant. Negotium magistri his artibus intenti tractant, tum discipulis, tum omni rei publicae, admodum salubre ac frugiferum, sed arduum profecto ac difficile. Bone Deus, quanta hic ingeniorum atque animorum varietas, quanta parentum, aliorum liberos mollius indulgentiusque, aliorum durius ac fordidius, quam par erat, educantium diuersitas, quanta opinionum exemplorumque cernitur dissimilitudo! Cui quidem ingeniorum, iudiciorum voluntatumque disparitati docendo, suadendo, praecipiendo, monendo et corrigendo ita inferuire, vt artibus liberalibus ingenia colantur singula, animi studio honestatis ac virtutis inflammentur, variorum corruptela vitiorum minuatur, frangatur, et quantum patitur naturae humanae labes, extirpetur, et patriae spes haud fallax in toto iuuenum coetu succrescat, tantae est amplitudinis, quantae non dicam assequendae, sed peruidendae, vita hominis non suffecerit. Facimus, quae per nos aliosque possumus.



At quemadmodum boni prudentisque viri est nihil hic inexpertum omittere, quo ad scopum, sibi in omni disciplina scholastica praefixum, felici successu pertingat, sic ipsa varietas ac dissimilitudo artium et praesidiorum, quibus perueniri ad istos fines et scholarum magistri existimant, et qui de scholis emendandis praecipiant, magnam in rebus istis moliendis gerendisque parit difficultatem. Sunt, qui cohortationibus, modo seuerioribus, modo lenioribus, sunt, qui condimentis ac blandimentis, sunt, qui disciplina seueriori negotium omne confici posse censeant. Feliciorum, nisi me omnia fallunt, atque expeditiorem viam eligunt, qui, prout res locusque postulare videntur, singula haec in promptu habent, ita tamen, vt, quoad fieri potest, seueritas comitate, seueritate comitas temperetur.

Facile largior, bene agi cum scholis, si humanitas pateretur, vt hic reperias atque afferas, quod sit simplex duntaxat et vnum, quod omnium palato sit accommodatum ac suaue. Id certe poteris inuenire et adhibere praesidii, quod caeteris videatur iure quodam suo praeponendum. Eligas, quod plurimorum indoli respondeat, pauciores iuuenum ignobiliores a pluribus nobilioribus eo secernas interuallo, quod viam reditumque ad meliores aperiat, nunquam, tua culpa, intercludat. Ita te in omni disciplina geras, vt sciant intelligentque omnes, saltem facile possint intelligere, suae felicitatis te esse cupidissimum, nosse te, quae faciant ad veram felicitatem, praesidia, amari abs te omnes, vitia te odisse atque insectari, non discipulos. Quod si feceris, pauci erunt tam corrupti ac perdit, quin ament te, quin fidem habeant tuis praeceptis, morem tibi gerendum ducant, ac sensu felicitatis imbuti ad felicitatem quodam modo adspirent.

At vero cum nulla esse possit sine virtute prosperitas, virtus omnis consistat in actione, et iuuenum leuitas tarda plerumque sit ad praeclare agendum, imprimis in laboribus exantlandis  
 animo-



animoque vincendo, stimulis opus est, quibus excitata iuventus ad ingenium atque animum rite colendum nihil non audeat ac moliatur.

Diu hic a multis quaesitum ac disputatum est, num laudis adipiscendae cupiditas stimulos animis iuuenilibus innoxios et salutare, an malos ac nocentes, addat. Sunt ex patribus, qui vocantur, ecclesiasticis, sunt ex recentioribus viri haud sane contemnendi, ut Christianus Thomafius, Godofredus Vockerodtus, Ioannes Bodo Vlrici, Carolus Rollinus, alii, suis laudibus non fraudandi, qui ambitionem atque aemulationem ex scholis proscribere prorsus atque expellere videantur. Sed hi non videntur hinc audiendi, hinc rectius explicandi. Aliter ex veteribus statuit Quintilianus, prudentissimus ille scholae frequentissimae magister, cuius quidem praecepta atque instituta cum in rem meam, quoad fieri potest, vertenda existimem, locum eius, qui discipulos ambitione tractandos regendosque docet, dignum iudico, quem iam amplecter scribendi materiam suppeditaturum. Vitium esse ambitionem a recto tramite aberrantem, non equidem negat Fabius, sed tamen saepenumero virtutes gignere, idem profitetur. *Licet ipsa, inquit, vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est.* Instit. Orat. I, 2.

Ambitionis dum cogito notionem, eam, spectatis eiusdem causis ac fontibus, esse ancipitem video. Si quis plus honoris ac laudis cupiat, quam eius ipse vel promereatur, vel pro sua conditione consequi possit, is profecto haud sine vitio ambitiosus est. At si quis decoribus iustis et laudibus quouis modo dignum se reddat, nihil omittat, quo ad honores, non vanos, assurgat, nec tamen quicquam honoris ac laudis vi petat, aut dolo aliisue artibus ab honestate remotis, aucupetur, hunc iure dixeris ambitionis honestae et vitio vacuae, vel si malueris ita loqui, solidae aliorum benevolentiae, laudis atque existimationis studio, haud vituperando, permotum.



Iam vero ambitionem vitium Quinctilianus vocat, quia sumit pro affectione animi ad honores citato properatoque gradu contendentis, qua quidem vocis potestate plerumque in malam partem accipitur. Mala nimirum atque peruersa feruntur ambitione, qui in quaerendis honoribus nihil curant, num adsit, quae laudem ac dignitatem promereatur, virtus, dummodo adesse videatur. Iure miserrimam esse omnino hanc ambitionem et honorum contentionem, Cicero de officiis praeci- piens monuit. Talis saepenumero apud priscos Romanos erat Candidatorum, qui etsi candida toga induti essent, vt quemad- modum Paullus Manutius *de Comitibus Rom. C. XV.* ait, eo colore, qui purissimus atque apertissimus est, simplicem animum in pe- tendo honore nullaque labe suffusum significarent; frequenter tamen a saluatoribus, deductoribus, sectatoribus, inprimis pe- titoribus, abfuit is animi candor, ea mentis simplicitas, horum vt fraudes honoribus inhiantes variis de ambitu legibus coercendae essent, et ipsa Candidatorum ambitio in prouerbium abiret.

At sicut sapientia prouidentiae caelestis vel vitia mortalium solet in rem conuertere, ita excelsas ambitio virtutes peperit. Gentes enim, animalia gloriae quas vocat Tertullianus, ea con- citatae, spretis laboribus ac periculis, *nihil non susceperunt*, ex quo securitas ac felicitas, publica non minus, quam priuata, prodiret. Nisi Cicero, quemadmodum in luculentissima oratione pro Archia poeta C. VII. se indicat posteritati, multorum prae- ceptis multisque literis sibi ab adolescentia suasisset, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia peri- cula mortis atque exilii parui esse ducenda, nunquam se pro salute publica in tot ac tantas dimicationes, atque in hos proflig- atorum hominum quotidianos impetus obiecisset. Idem, C. XI. de suo *quodam amore gloriae*, nimis acri fortasse, veruntamen *honesto*, iudicibus multa confitetur. Ex quibus Tullii locis disca-  
mus

mus

mus *ambitionis* suspiciosa voce dimissa, *gloriae amorem* praeferre, vel ambitionem pro actu sumere honorum studioso, quo significatu media vox apud Latinos est. Vtinam superstites nobis adhuc essent, qui Francisco Petrarchae fuerunt; duo Ciceronis de gloria libri, vtinam potius istam vestem pelliceam, versibus tot inscriptis commemorabilem, a poeta, nescio quis, mutuam sibi postulasset, nec vnquam reddidisset, quam istud ingenii Tulliani monumentum, cuius iacturam, causa non vna commoti, dolemus: Vir summus, idemque cupidissimus gloriae, sensum eius ac studium vehementer acueret. Amissi tamen operis Ciceroniani desiderium leniit Hieronymus Olorius, Lusitanus, qui quanto ingenii acumine et elegantia, tanta doctrinae sollertia et vbertate, libros quinque scripsit de gloria.

Haec dici non potest, quantum incendat moueatque animos discipulorum. Trahimur enim omnes natura tanto laudis studio, vt qui de contemnenda gloria libros scripserunt, nomina tamen sua scriptis imponerent, ac famae essent ipsa, quam praese ferebant, modestia eo auidiores, quo magis eam spernere ac negligere viderentur. Placet audire Hieronymum, de quo dixi, Olorium. *Laudis, inquit, et famae desiderium adeo late patet, vt nullus sit neque tanta humanitate praeditus, neque tam agrestis et inhumanus, neque tantis honoribus insignis, neque tam obscurus et ignotus, neque tot virtutis ornamentis excultus, neque tam multis flagitiis coopertus, qui non flagret infinita quadam gloriae cupiditate. Deinde ita est id communibus sensibus infixum, vt neque vi rationes euelli, neque lege aut more vlllo mutari, neque vlllo metu coerceri et comprimi possit. Postremo tam vehemens est, vt animum nullo in loco consistere patiatur, sed semper incensum trahat et rapiat ad maiora indies et altiora inflammato studio consecranda. Ex hoc autem animi motu clarissimae virtutes nascuntur. Acuit enim industriam, animosque ad res acriter et animose gerendas exsuscitat.*

Qui



Qui vero laudari se cupit, eo connitetur, ut laude dignus habeatur, nullo non tempore ex plausu sibi dato delectationem capiens, ac sponte faciet, quae ad decus sibi comparandum pertinent. Itaque non est asperioribus verbis cogendus, multo minus plagis ac verberibus, ipse se ad officium redigit, certe, si qua deflexerit, monitus facile in rectum tramitem redit, et ne in devia in posterum delabatur, maiori cautione prouidet.

At quibus remediis hic utetur scholae magister, cui est illud *πείθειν μάλλον, ἢ βιάζεσθαι*, commendatissimum? Laudabit honestas actiones discipulorum, laudabit animi virtutes in his conspicuas, ut pietatem ac probitatem, modestiam ac verecundiam, obsequentiam, munditiam, veritatis et concordiae et amicitiae sectandae ac seruandae studium, *ἀσφάλειαν*, laudabit assiduitatem, et ingenii, vel iudicii vim in speciminibus editis se prodentem. Quas virtutes cum viderint iuuenes praeceptoribus probari, has, iudicio magistri, quem amant, delectati, quauis occasione repetent, nouisque igniculis ad praeclara quaeuis et laudabilia conanda et suscipienda inflammabuntur. Tales se iam a teneris praestare discent, quales praeoptauerit res publica, viris bonis et honestis munusque sibi demandatum fide satis tuta et constanti explentibus, felix.

Neque tamen in conatibus discipulorum sic probandis laudandisque subsistet magister, sedulo idem ac prudenter contendet profectus alumnorum inter sese, et qui caeteros vicerint, hos praecipua commendatione ornabit, immo vero aliis, quod imitentur, exemplo proponet. Quod quamuis in loco satis illustri positum non sit, nec esse possit, aculeum tamen in animis vel tardioribus, vel hebetioribus relinquet, quod iuuentus exemplis, ut ita loquar, exteris ac peregrinis nondum collectis, ea potissimum sequitur, quae in promptu sunt, atque ab oculis quotidie versantur. Maiora tamen, quod non diffiteor, quam commilitonum, exempla consecretantur profectiores, imprimis  
qui-





quibus ingenium contigit ultra mediocritatem exurgens; tiro-  
nes imitari solent condiscipulos. Quod etiam longa experientia  
edoctus testatur Quintilianus. *Sicut, ait, firmiores in literis pro-  
fectus alit aemulatio, ita incipientibus atque adhuc teneris, condisci-  
pulorum, quam praeceptoris, iucundior, hoc ipso, quod facilior, imita-  
tio est. Vix enim se prima elementa ad spem tollere effingendae, quam  
summam putant, eloquentiae audebunt: Proxima amplectuntur ma-  
gis; ut vites arboribus applicitae, inferiores prius apprehendendo ra-  
mos, in cacumina euadunt.*

Sed quaestio nunc oritur lubrica et difficilis de certaminibus  
scholasticis, num discipulorum animos ad veram gloriam, quae  
nihil habeat vitii, vanitatis et periculi, exsuscitent, an potius  
aliorum inani tumore ac sapientiae, nescio cuius, persuasione  
inflent, ut multos penes se Musarum alumnos contemnant solos  
se circumspicientes, sibi tantum plaudentes, aliorum mentem  
ingeniumque hinc frangant, hinc inuidia, odiis ac simulatibus,  
per omnem vitam durantibus, exacerbent, toti scholae, immo  
rei publicae pestem quandam ac perniciem inferant? Non ea-  
dem sane omnium ea de re sententia est. Sunt, qui durius,  
sunt, qui mitius hic iudicent, sunt, qui scholis aptissimas vtilissi-  
masque decertationes arbitrentur. Ad brutorum animantium  
indolem haec certamina detrudit Christianus Thomasius, ac scho-  
lis turpissima opinatur. Mater vitiorum latius serpentium istud  
genus concertationum habetur a Godofredo Vockerodto, viro  
scholae regendae caeterum peritissimo. Eiusmodi aemulationem  
vanissimae laudis et commendationis in scholis aliquamdiu agi-  
tatam, per vniuersam vitam continuari existimat, et mutuorum  
inter ciues odiorum, perpetuae obtreccionis et insectationis,  
factionum, et non nunquam ciuilium turbarum caussam eua-  
dere. Tristioris naturae commilitones iram ex ista concerta-  
tione conceptam ita occupare, ut offensae atque iniuriae, qua se  
laesos putent, memoriam non nisi cum vita deponant. Neque  
mirum



mirum esse, inde tam multos homines euadere pugnaces et rixosos, quoniam iam in scholis pugnare didicerint. Ab ista vero sententia prorsus abhorret iudicium Quinctiliani. Suos is praeceptores hoc etiam laudat nomine, quod utilia eiusmodi certamina in coetu discipulorum instituerint. *Non inutilem, scribit, scio seruatum esse a meis praeceptoribus morem, qui cum pueros in classes distribuerant, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant, et ita superiore loco quisque declamabat, ut praecedere profectu videbatur. Huius rei iudicia praebebantur. Ea nobis ingens palmae contentio: Ducere vero classem multo pulcherrimum. Nec de hoc semel decretum erat: Tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem. Ita nec superior successu curam remittebat, et dolor vitium ad depellendam ignominiam concitabat. Id nobis acriores ad studia dicendi faces subdidisse, quam exhortationes docentium, paedagogorum custodiam, vota parentum, quantum animi mei coniectura colligere possum, contenderim.*

Iam quid mihi videatur, ingenue profitebor. Iudex hic sedere omni exceptione maior vix poterit Thomasius, in schola inferiori nunquam versatus. Deinde liberalis disciplinae alumni decertant ingeniis, bruta rostris, unguibus, dentibus cornibusque conflictantur. Nec vlla cogitatione assequor istam scholarum turpitudinem, quae ex conatu tantum proficiendi, quantum possis, et loci occupandi, quem promereatur tua virtus, enascatur, cum id non discipuli fiat iudicio, sed praeceptoris. Praeterea facile conuelli poterat haec contumelia, scholis a Thomasio illata, per instantiam, ut est in scholis philosophorum, nisi chartae parcerem. Cum Vockerodto nunc paucis agendum. Non omnis aemulatio laudis et commendationis vana est, quae quidem ne in vanitatem ac superbiam abeat, prudens ac fidus magister cauebit. Et quis sibi persuadeat, aemulationem honestam ac decertationem in scholis vigentem mutuis inter ciues odiis, perpetuae obrectationi et insectationi, factionibus, et  
non



non nunquam ciuilibus turbis causam praebere? Si quam praebere, non alia sane causa foret, quam cotis cultrum acuentis, quo nefarius homo, aut mente captus, vel sibi, vel aliis vim inferret. Paucissimi etiam erunt adeo tristes, vel fatuae potius naturae, ut offensae atque iniuriae, qua se laesos putent, acerbissimam memoriam non nisi cum ipsa vita exuant. Non debent se sic laesos putare iuuenes, multo minus ista iniuriae opinio decebat viros. Pugnacium autem et rixosorum hominum esse tantum prouentum, quod iam in scholis pugnare didicerint decertatione, de qua diximus, non video. Immane quantum, differt pugnacium et rixosorum hominum ab ista scholarum sine acerbitate pugna. Aliam enim quis bonus ac sanus admittendam duxerit?

Supereft, ut breuibus disputem de utilitate, quam discipulis et ipsi scholae afferunt certamina, quando lectiones ita reperiuntur, ut maior diligentia praestantiorum locum consequatur. Hunc ut obtineat discipulus, pensum praeparabit, ad omnes res, ac verba, quibus efferuntur, in ipsa disciplina, collecta vim mentis attendet, et ne animo ac memoria excidant, semel iterumque domi reuocabit, nec ex ista diligentia et sollertia quicquam facile remittet, ne gradu isto, ad quem se gaudet euectum, deturbetur. Eundem sibi scopum specimina *δοκιμασιμὰ* propositum habeant, ut qui se optime gesserit, classem ducat, qui alios superauerit, locum obtineat sua persona dignum.

Mirifice id etiam iuuenum industriam acueret, omnibusque omnium scholarum ordinibus accommodatum foret, si frequentius praemiis quibusdam praestantium virtus ornaretur. Equidem, si suppeditarentur sumtus, emerem libros varii generis, darem discipulo ad Latii cultum elegantiamque felici successu adspiranti scripta maiorem in his studiis facultatem comparantia, Graeca legenti Graeca exemplaria, in patria lingua gradus facienti scriptores hominum nostrorum classicos, oratores ora-



tori, poetae felici poetas ingenio suo accommodatos, quibus legendis atque imitandis doctior fiat.

Sed tamen hic sedulo ac prudenter considerandum, quid scholae, cui magister operaris, natura, quid loci, in quo versaris, quid parentum, quid ingeniorum conditio patiat, quid ferre recuset. In scholis, ubi musicae artes, pari passu cum caeteris ambulant, vix admittenda videtur concertatio sedem discipulorum turbans, saltem ex classibus superioribus proscribenda. Paucissimarum, ut dicam, quod res est, scholarum ordo superior feret istas locorum commutationes, quas vix memini in scholis celebrioribus factas, inferiores classes, nisi alia accesserint impedimenta, quibus tollendis praeceptor sit impar, usum quem dixi, praebebunt. At si multorum parentum fuerit istud ingenium, ut natos loco suo pulsos, quod recordor accidisse, vel studiis illiberalibus, missa schola, tradant, vel in aliam traducant scholam, tum vero cedendum opinioni, nisi te ad paucitatem redactum volueris, vel scholam tuam, damno vix reparando, paene desolatam experiri.

In classibus superioribus alia ego certamina instituerem, quae nihil haberent acerbitatis, plurimum aemulationis honestissimae. Quae supra commemoravi, praemia, varii generis et pretii, interdum et maioris, libros, disciplinae meae alumnis proponerem, quibus inuitarentur atque allicerentur ad ingenii facultatem et iudicii vim pensis sibi datis acuendam. Loca ex classicis scriptoribus, tum Graecis, tum Latinis, darem in linguam patriam ita conuertenda, ut sententiarum verborumque omnium vis, quoad linguae nostrae ferat ingenium, penitus ac tota sic conspiceretur, ut pensum ista lingua redditum in Graecia Lativae natum, educatum politumque videretur. Tum ratione non vna pensum vel Romanorum in lingua, vel Germanorum iuberem discipulos imitari, ita quidem, ut poeticum pensum, ad eandem diuinae artis indolem, quam spiret exemplar,



plar, accommodaretur. Idem facerem cum locis ex oratoribus, et historicis ac philosophis sollerter decerptis, idem cum genere quouis epistolarum. Diligentiae felicitis praemia tribuerem qui mererentur, discipulis, alia mihi esse in promptu testatus, his reddenda, qui sine cortice, quod aiunt, natarent. Characteres varios vel oratorum more, vel poetarum pingendos, varias res, tum natura factas, tum arte, describendas, tandem varii generis epistolas, orationes, poëmata sic eloboranda proponerem, vt qui caeteris praestarent, libris donarentur. Sed satis de hoc.

Venio nunc ad cautionem a magistris scholarum in discipulis, ambitione honesta regendis excitandisque, adhibendam. Ceu pestis, vt in omni vita scholastica, sic etiam in laude discipulis impertienda, fugiatur turpissimum illud atque indignum viro bono lucri studium, quo ducti occaecati, fascinatique multi scholarum magistri, discipulos segnes ac dissolutos laudibus maectant, quoties illiterati parentes, iidemque ditiores, quo modo se nati gerant in schola, percontantur. Istam animo suo maculam qui praeceptores adsperserunt, mores emendare discant vel sapientissima Saxonum ordinatione scholastica, cum nouis frugiferisque accessionibus nuperrime formis mandata. Secus si fecerint, fidem omnem perdent, iuuentutem vitiis ipsi corrumpent, segetem rei publicae prosternent, quam ad messem vt perducerent, summa ope niti debebant. Ne gloriae cupiditas in vanam fatuamque degeneret ambitionem, ne decepti opinionis errore nubem pro Iunone amplectantur, laus ita tribuatur, vt quisque quamuis laudatus, nondum se omne punctum tulisse intelligat. Non modo vel praestantissima doceas ingenia, esse in speciminibus quaedam, esse multa, pulchra, bella, ingeniosa, nec tamen omnia suis numeris absoluta. Ostendas, in artibus ingenuis multum viae superatum, restare plurimum, quod nec summa diligentia confici totum possit. Nec feliciora



tantum ingenia laudando foueas augeasque, mediocria etiam, immo inferiora, in societatem laudis admittas, laudes vel conatus, si discipulus fecerit, quae facere pro viribus, natura sibi concessis, poterat. Sic te gerendo ingenia non deprimes, eriges mediocria et tardiora, non modo ferenda prudenter, sed etiam laude quadam in spem attolenda, fore indefessa industria, ut ea tandem assequantur, ad quae gradu adeo difficili contendant. Deinde, ut omnibus, ad quae natura propensi sunt iuuenes, sic etiam in laudis et gloriae cupidis, veri honestique fines praefigantur. Mature in ipsis tractandis scriptoribus doctrina morum, vel ad ciuilem vitae honestatem spectans inculcetur. Mature luculentis ostendatur exemplis, veram gloriam a virtute proficisci omnem, non ornamentis externis, quae nulla esse, decoribus animi destituta, possunt. Cuius praedicationis verae ac solidae exempla vel Cornelius Nepos, excellentissimus scriptor, quem summi viri, senes adhuc in deliciis habuerunt, in Alcibiade ac Cimone monstrat. Etiam atque etiam hoc nomine iuuenibus commendandae sunt excellentium virorum vitae, ut ex horum virtutibus gloriae, optimo cuique sectandae, igniculos concipiant. Immo historiarum monumenta, quibus vanae exempla gloriae ad nostram memoriam progagantur, veram intelligere doceant ac magni facere, fluxam et inanem contemptui habere. Est hoc vitium in primis adolescentibus periculosum, ut qui alios ingenio, vel arte quadam antecellunt, hos alto supercilio plerumque contemnant. Hi quidem ita sunt ad saniora reducendi, ut commilitonum dotes alio in genere liberalis doctrinae, in quo vident aliquid, praeponantur. Namque, ut est apud Homerum,

*Ὅς δὲ τοι εἶδος μὲν ἔην κακὸς, ἀλλὰ ποδῶν κη.*

*Qui ore quidem deformis erat, sed pedibus acer,*

aliis alia natura concessit, alia negauit. Seu, ut alibi felix Iliados auctor canit:



Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε  
*Annuit hoc illud (Diuum) pater, abnuit illud.*

His autem finibus si ambitio iuuenum regatur, tantum abest, ut sit superbiae ac fastus parens, ut potius comes, dux et socia plurimarum virtutum iure meritoque habeatur.

Eiusmodi laudis amore ducti, et pietatis gratique animi officio permoti, in publicum dicendi causa prodibunt octo disciplinae meae alumni.

I. TRAVGOTT BENIAMIN BERGER, *Weblensis*, lingua Latii exponet *de insigni decore ad homines ex ingenuarum literarum studio perueniente.*

II. CAROLVS AVGVSTVS SCHREIBER, *Dresdensis*, *soli virtuti verum sincerumque decus inesse*, lingua patria demonstrabit.

III. CAROLVS HENRICVS HICKMANN, *Taltitio Variscus*, latinis verbis aget *de honore senibus a iuuentute tribuendo.*

IV. FRANCISCVS GOTTHARDT ABT, *Pretschensis*, *Dei gloriam, in iuuentute conspicuam*, oratione lingua Germanorum concepta, illustrabit.

V. CAROLVS HENRICVS SEYFRIED, *Neustadio Dresdensis*, *rectius ingenii, quam virium opibus, quaeri*, Francogalorum lingua declarabit.

VI. IOANNES GEORGIVS HOFMANNVS, *Ortrandensis*, carmine heroico canet *Deum terrae motu gloriosum.*

VII. IOANNES GEORGIVS ROIK, *Plessensis*, lingua Romanorum dicet *de diuina prouidentia, in subleuandis prouehendisque iuuenum egenorum studiis illustri.*

Tum BERGERVS memor beneficiorum, quibus cum caeteris in Academiam cogitantibus in schola Cruciana se auctum ornatum-

natum-



natumque gaudet, grati religionem animi suo nomine et com-  
militonum, abiturum iam parantium, testabitur carmine germanico.

VIII. Denique CAROLVS FRIDERICVS BASLER, *Ehrenfrie-  
dersdorfensis*, amicos ad altiora Musarum castra se conferentes bo-  
nis votis prosequetur felicem his honorificumque discessum versi-  
bus, patria lingua fufis, congratulatus.

Quos quidem bonae spei adolescentes quemadmodum his  
instructos artibus ac praeceptis noui, quae, ad veram laudem  
colligendam seruandamque pertinent, ita plane confido, schola  
nostra honorifice egressos sic se praestituros, vt laudem et ho-  
nestatem pensi habeant, nec vnquam rebus se dent, quae ab  
honestate ac liberalium artium decoribus abhorrere videantur.  
Musarum vero PATRONOS ac FAVTORES, inprimis EPHO-  
RVM SCHOLAE MAGNIFICVM AC SVMME VENERABILEM,  
PATRES CONSCRIPTOS AMPLISSIMOS, GRAVISSIMOS AC  
SAPIENTISSIMOS, SACERDOTES PLVRIMVM REVERENDOS,  
*Clarissimosque scholarum Magistros*, perofficose rogo, cras, hora  
secunda pomeridiana, Musis nostris adsint, et qua benevolentia  
complecti solent literas bonas, ea in oratoribus nostris nouas ho-  
nestissimae laudis faces succendant. Scrib. in schola Dresdenfi  
Cruciana. II. Calend. Mai. A. O. R. clō Io CCLXXIII.

